

Bibliothèque numérique

medic@

**Lacathon Delaforest, Pierre - candidat
/ Sue, Pierre - président. - Theses
anatomico-chirurgicae**

1773.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
Typographi, viâ Cithareâ,
Cote : ms 2344, n°11***

DE PANARITIO.

T H E S E S

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

QUAS, Deo juvante, & præside M. Petro SUE juniore, Artium liberalium & Chirurgiæ Magistro, Regiæ Chirurgiæ Academiæ Socio, Anatomes & Chirurgiæ in Scholâ practicâ nuperrimè Professore, Societatis Regiæ Monspelliensis Correspondente, nec-non in generali Parisiensi præfecturâ Chirurgo ordinario, tueri conabitur Petrus LACATHON DELAFOREST Parisinus, Artium liberalium in præclarâ Universitate Parisiensi Magister.

PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

*Die Sabbati quartâ mensis Septembris Anno salutis 1773,
à sesqui-Secundâ post meridiem ad septimam.*

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii
Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXIII.

M



DE PANARITIO.
THESIS
ANATOMICO-CHIRURGICA.

Quas, Deo iuvante, & praeside M. Petro Sur Jussieu,
Astrum liberatum & Chirurgia Magistro, Regia Chirurgia
Academiae Socio, Anatomiae & Chirurgiae Scholae praefecto
nuperum Professore, Universitatis Regiae Medicae
Correspondente, necnon in generali Parisiensi
Chirurgico ordinario, inter consilium Petrus LACATON
DACAENEST Parisiensis, Astrum liberatum in praesentia
Universitatis Parisiensis Magister.

PARISIIS,
IN REGNIS CHIRURGICORUM SCHOLIS,
Die Sabbati quartae mensis Septembris Anno salutis 1773,
a Typographo postmodum ad seipsum.

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREAE.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiae Collegii
Typographi, via Charente.

M DCC LXXIII

M



D. O. M.
T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

HOMINEM, dùm vivit, non solùm intùs cruciari mille morbis, sed & extrà affectibus numero penè infinitis deturbari, nil mireris. Tumoribus omnis generis miserè obnoxia est cutis humana, pro diversâ affluente materiâ, aut excretâ, aut propulsâ: quandò vi morbi naturalem cutis superficiem attollere cœpit appulsus humor quicunque, tunc moles ista tumor dicitur. Singulos sanguinis humores seorsim modò, modò conjunctim sub cute latitantes, incuneari, congeri, imò vasis ruptis inibi expandi, putresceri, nec novum, nec infrequens est. Humor quisque seu devius à suâ sede solùm-modò, seu simul à suâ naturali crasi degener, sub aliquâ cutis parte gliscens, concrelescensve, tubere manifestum se facit, generalique apostematis nomine designatur, licèt ab humoris vitio aut situ plerumquè nomen habeat tumor. Sic ille qui in digitis sedem habet, & de quo hìc tantummodò nobis dicendum, panaritii vel paronychiæ nomine gaudet. Discriminum verò hujusce morbi ratio à partium quas afficit structurâ, officio & indole cùm repetenda sit, extremitatis superioris anatomiam ad panaritiolorum curationem necessariam paucis saltem hìc dare lineis operæ

A ij

pretium ducimus, ex mente omisiss pluribus partibus de quibus cuique interroganti pro viribus respondebitur (1).

EX ANATOMIA.

PARTIBUS quatuor constat extremitas corporis humani superior, humero videlicet, brachio, antibrachio, & manu. Humerum efformant clavis & scapula; unico osse ferè cylindrico, humero dicto, brachium pollet. Cubitus & radius antibrachium constituunt: manus in carpum, meta-carpum & digitos distinguitur. Ossiculis octo in duos ordines dispositis perficitur carpus: tria in primo ordine reperiuntur, nempe *naviculare*, *semilunare*, *cuboides*, cui addas extrà ordinem *pisiforme*: quatuor in secundo, putà *trapezium*, *trapezoideum*, *magnum* & *uncatum*: quatuor ossa ferè cylindrica ab indice ad minimum digitum minutiora metacarpum statuunt: digiti denique quindecim ossibus, tribus pro unoquoque, phalangibus dictis, gloriantur. Musculorum nunc prædictarum partium enumeratio danda.

1°. Scapulæ musculi quinque sunt, vel potiùs, prouti volunt quidam, sex numero, nempe *trapezius*, *Rhomboideus*, *elevator proprius*, *Dentatus major* & *pectoralis minor*. Sextus dicitur *subclavius* levibusque clavis motibus inservit, vel musculorum inspiratoriorum numero ab aliis additur.

2°. Novem brachium musculi movent, scilicet *Deltoides*, *supra-spinatus*, *pectoralis major*, *coraco-brachialis*, *infra-spinatus*, *rotundus major*, *rotundus minor*, *latissimus dorsi*, & *infra-scapularis*: primis duobus elevatur brachium, duobus sequentibus antrorsum dirigitur, quinto & sexto retrò progredi debet, infra septimo & octavo devehitur, ultimo tandem propè costas approximatur.

3°. *Biceps* & *brachialis internus* antibrachium flectunt: extenditur verò *longo extensore* & *brevi*, brachiali interno & anconeo: præter flexio-

(1) Duæ jam de panaritio in nostris Scholis propugnatae sunt Theses, alia anno 1751. Præside Magistro GENTIL & candidato M. FABRE, altera anno 1761. Præside Magistro MERTRUD & candidato M. BONNAUD. Quàmplurimis hæc nunc disquisitionibus curiosis que illustratur notis, quarum nonnullas in nostro programme protulisse lubenter fatemur.

nis & extensionis motus, duos adhuc habet *ulna* motus radio acti, nominibusque *pronationis* & *supinationis* designati. Prior tum *rotundo*, tum *quadrato pronatore* perficitur. Posterior *longo* & *brevi supinatore* agitur.

4°. Musculis tum flexoribus tum extensoribus carpi motus fiunt. Flexioni inservientes musculos reperias *radialem internum*, *cubitalem internum* & ferè semper *longum palmarium* : extensioni proprii sunt musculi, *cubitalis externus* & *radialis externus*.

5°. In communes & proprios digitorum musculi distinguuntur; communes appellantur ii qui plures habent tendines, ad plures terminantur digitos & quorum communis est actio : proprii nominantur ii qui unam tantum habent actionem, uni & soli digito particularem : unà plerumque moventur ultimi quatuor digiti, & flecti, extendi, in dextrum vel sinistrum latus ferri, quod *adductio* & *abductio* dicitur, possunt. Musculi *sublimis* & *profundus* flexionem agunt : *Extensor communis* digitos extendit : horum digitorum primæ phalanges quatuor *vermicularibus* musculis obliquè flectuntur : motus tum adductionis, tum abductionis, sex fiunt musculis *inter-ossæis* dictis, quorum tres in metacarpi facie externâ & tres in internâ. Inter proprios digitorum musculos alii ad pollicem, alii ad indicem & ultimi ad auricularem pertinent. Quinque sunt pollicis musculi proprii, nempe *flexorius*, duo *extensores*, adductor & abductor : Duo sunt indicis musculi proprii, nempe adductor & indicator : eodem musculorum numero gaudet auricularis digitus, nempe extensore & abductore.

Præter omnes hos musculos, facie manûs internâ duæ reperiuntur carneæ portiones, quarum una quarti metacarpi ossis motui inservire apparet, & altera, vulgò *parvus palmaris* dicta, cutem manûs internam crispat. Quamplurima paronychiæ quæ in tendinosæ vaginæ sedem habet accidentia, modò in chirurgiâ describenda, quò facilius intelligantur, præcipuarum digitorum flexioni inservientium partium dispositionem hîc revocare necesse est. Musculis profundo & sublimi, ut modò diximus, fit digitorum flexio : in interno humeri condylo inferuntur hi musculi, & in mediâ antibrachii parte dividuntur in quatuor tendines flexores dictos, sub annulari interno & communi carpi ligamento transeuntes, & in omnium digitorum, pollice excepto, extremitate finem invenientes. Singulus ergo digitus duos flexores habet tendines, unum à profundo musculo & alterum à sublimi musculo suppeditatum. Tertiæ phalangi prior & secundæ posterior adheret. A ligamento annulari interno & communi usque ad ipsorum extremitates vaginâ

includuntur hi tendines, quæ ligamentosis vinculis in toto digito corroborantur.

Arteriæ, venæ, nervi, & lymphatica sunt brachii vasa: qui vivificus ab arteriâ brachiali suppeditatur sanguis redux axillari venæ allabatur. Nervorum sex paria à quatuor inferioribus cervicis & primo superiore dorfi motus sensusque suprâ laudatis partibus ministrant. Residuam ex hisce partibus lympham deponunt in glandulas axillares ductus lymphatici.

Cum ultima digitorum phalanx paronychiae sedes quàm frequentissima sit, hujus compagem paucis delineare verbis utile, imò necessarium judicamus. In digitorum extremo partium maximè sentientium concursus mirabilis nexusque peculiaris occurrunt. Ad digitorum nempe tutelam fortioremque prehensionem supernè digitus tegitur ungulâ, cujus substantia corneam duritiem æmulatur. Unguis hæc pars dura seu exterior, papillis cutaneis substratis intrâque ipsius foveas locatis more & loco epidermidis incumbit contigua, absque tamen adhæsione, dùm altera alba teneriorque radix dicta, sub cutis duplicaturâ se abscondens, iisdem papillis substratis superjacet, fibrisque tenuissimis per latera partibus vicinis adhæret. Hæc radix secatur perpendiculariter, adeò ut lunæ partem (parte concavâ articulum respiciente) quodam modo referat. Inter radices oras & articulum circiter duarum linearum interjacet spatium, cujus unam & semissem lineam tendinis extensoris digiti expansio tenet, dum reliquum à fibrillis radices, cute reflexâ subterque expansâ, occupatur.

Pars verò inferior digiti, tanquàm molli pulvinari tuta, præter cutem densam texturamque cellularem, papillis nerveis numerosissimis constat, substantiâque pulposâ digiti dictâ, mediâ inter carneam seu glandulosam & adiposam, vasis plurimis & præcipuè arteriosis cellulisque adiposis mirè inter-textâ. Sub hac jacet tendinis flexoris digitorum theca vaginalis, ligamentosa, seu semi-cartilaginea, tendinem undiquè coercens, itum & reductum fovens, mediante humore blando, ad instar synoviae, parietibus internis lubricandis dicato: sub ipsâ tendo mobilis, prius teres, & simul ac articulum scandit, expansione latâ conspicuus, per totam officuli internam superficiem planam, periosteo perforato, inseritur. Officuli apex summus seu Capitulum, scabrosum ex utràque parte ligamenti lateralis, suprâ quod incumbit suo pro sustentaculo unguis, insertioni locum præstat. Ligamentum hoc ab officuli basis lateribus ortum juxta unguis totam longitudinem

extenditur, apicique scabroso inseritur. Hisce fulcimentis extrema digitorum contra offensiones præmunita pars, multiplices, absque incommodo, functiones navat. Hæc ad Anatomiam sufficiant; nunc ad Chirurgiam deveniendum.

EX CHIRURGIA.

TUMOR plus minusve dolens, plus minusve perspicuus ad apicem vel circa longitudinem digitorum, quandoque propè radices unguis, Panaritium & Græcis *παρονυχία* vulgò vocatur, à duobus verbis Græcis *παρὰ* & *ονυχί*, id est propè unguem, undè resultat veram tunc tantummodò adesse Paronychiam, quotiescunque affectio dolore stipata, juxta unguem nata, in abcessum definit: nam si morbi sedes sub ipso ungue aut radice lateat, tunc non vera adest paronychia, sed potius *Hyponychia*, non satis ab auctoribus tum antiquis tum recentibus distincta: non etiam paronychia confundenda cum pterygio, unguium ipsorum morbo, & cujus meminit *Celsus* Libro sexto. Hæc generali positâ observatione, variæ nunc panaritiarum species explicandæ.

Quando hic affectus in extremo digiti ad oras aut latera radices unguis aut circumcircà oritur, ita ut nullas viciniore partes præter cutem in quâ hæret, afficiat, nec ultrà corpus reticulare *malpighii* limites habeat, & levissimo tumore, rubore ac dolore conspicua sit, tunc fit paronychiæ prima species levior, tolerabilior, & gallicè *mal d'aventure*, *tournoi* vocata. Si verò sub ipsâ cute densâ in textu cellulari vel substantiâ pulposâ digiti lateat morbus, gravior tunc adest paronychia seu secunda species, majori tumore, dolore pungitivo, omnibusque inflammationis notis unâ cum febre stipata. Si vaginalis tendinis tunica ab acri & interno corrodatur fero, tertiam paronychiæ speciem adesse jure dicitur: hæc verò in digito vix sensibus conspicua, gravissimis, ut infra dicemus, accidentibus constipatur. Quartum denique panaritii genus à precedenti solâ sede differt, si quidem periosteum & os ipsum vexet. Quatuor hæ morbi descripti species ab omnibus non admittuntur auctoribus; unicam adscribunt *Joannes Devigo*. Libro secundo de apostematibus, capite quinto; *Riverius*, Observationum centuriâ-quartâ, Observatione sexagesimâ-

tertiâ; *Dionis*, in *Operationibus Chirurgicis*, *Demonstratione octavâ*: recentissimi vèrò cum sagacissimo hujus Auctoris Commentatore Magistro *de la Faye*, quatuor panaritii species jure ac meritò distinguunt, inter quos numerandi *Platnerus*, *Garengeotius*, &c. Tres tantum enumerant *D. Col de Villars & Heisterus*; dùm quinque assignat, *Goueyus* in Libro cui titulus *Chirurgie véritable*, page 307.

Quaecunque autem panaritii species admittantur, quamcunque sibi vindicet sedem iste morbus, eadem & similes semper erunt causæ, id est, externæ vel internæ. Externæ, ictus, contusiones, erosiones, puncturæ sunt: internæ causæ ab humorum crasi perversâ, aut quâcunque lue scorbuticâ, scrophulosâ & sæpissimè venereâ repetendæ. Hæ autem in tertiâ & quartâ panaritii speciebus suam habent applicationem, si irriti generalium remediorum usus, furens accidentium cohors, & tamen levissima sit causa externa.

A sensibilitate partium præcipua oriuntur Paronychiarum accidentia vel signa. Primam panaritii speciem pronunciant levis tumor, solâ tectus Epidermide, minor tensio ac pulsatio, mediocris dolor in digito affecto limites habens, & febris plerumquè absentia. Naturales unguis radices adhesionibus ab inflammatione destrui non rarè evenit, tuncque novus recrudescit unguis: quando immediatè sub ungue sedem habet pus, quàm maximus est dolor & usquè ad externum humeri condylum se extendit, propter digitorum tendinum extensorum continuitatem; secundæ panaritii speciei signa cum primæ signis facilè confundi possunt, nisi tamen in illâ accidentia vehementiora sunt, id est, sublimior tumor, ardentior inflammatio, vividior pulsatio, tensiorque dolor: febris adest & quidem maxima: turgescit tota manus, torpedineque cum antibrachio opprimitur.

Tertium Paronychiæ genus tunicæ tendinique adhærescens gravissimis accidentibus, imò & mortì quandoquè locum dat: partes enim illæ irriterito fibrarum nervearum ordine cinctæ, sensu acutissimo pollentes, fasciis vinculisque tendineo-ligamentosis formatae, stagnantes incarcerant humores, proindeque vicinarum partium ingurgitationes & inflammationes magnoperè protrahunt, undè strangulatis capillaribus, feri stagnatio, manûs inflammatio, nervorum textûsque cellularis distensio ac divulsio, aliaque accidentia mox describenda in partes vicinas faviunt. Paronychiæ quæ in tendinosis
vaginis

vaginis sedem habet, vel omnibus vaginarum speciebus communia, vel unicuique propria sunt signa. Varia adhuc sunt signa pro loco quem in vaginâ occupat pus. Sic si in parte articulationis proximâ adsit stagnans serum, nulla tunc aderit tumefactio : Si verò phalangæ mediam partem occupat, tunc sensibilis perspicietur tumor, & in omni casu, quæcunque sit materiæ sedes, intolerabiles erunt dolores, febris ardens, insomnia, convulsiones, delirium, gangrena, quæ miserum ita discruciant & exercent, ut, nisi opportunum accesserit auxilium, vitæ periculum sentiat.

Si tendinis extensoris cellularem tunicam afficiat paronychia, varia brevî quibus distinguuntur ejusdem musculi tendines per frænula serpit malum. Hinc externum humeri condylum dolor premit acerrimus, descriptamque accidentium catervam si non omninò, saltem partim secum protrahit. Pollicis in paronychiâ ultrâ mediam cubiti partem non extenditur dolor, cum musculi pollicis proprii vix ullam cum aliis communicationem arguant : exsurgit quidem sensibilis in volâ manûs tumor, sed minùs quàm in aliis digitis dolens : Ligamentum verò semiannulare carpi minori quidem tumore, sed acerrimo dolore torquetur : mox urgentibus symptomatibus pertingit plus minusve dolor versùs internum humeri condylum. Tendinosis in vaginis quandò pus sedem habet, coercetur, & extùs protrahi non potest, undè inflammatio quæ propter vicinarum partium reciprocationem has etiam brevî afficit. In digitorum articulationibus, atque etiam in manûs fluctuatione se manifestat pus, cùm in tendinum vaginis propter vincula ligamentosa persentiri non possit. Inflammatione usque ad ligamentum annulare perventâ, innumera quæ sub quadrato musculo & musculorum profundi & sublimis tendinibus reperiuntur cellula adiposæ mox afficiuntur & in his efformatur abcessus, cujus manifestatio ligamento annulari impeditur, quam verò doloris æstus ac continuïtas, accidentiumque violentia satis declarant. Cùm denique latiùs progreditur inflammatio, abscessus nonnunquàm apparent in antibrachio, in cubito, atque etiam in brachio.

Quarta panaritii species os ipsum periosteumque ita divellit, ut venenosum aliquod in hæc excogitarint Antiqui (a) : nec mirum ; hoc

(a) Venenum in paronychiâ latere asserit LAZAR. RIVERIUS, Obs. XIX. Cent IV, additque in aure & capite felis adesse vim quamdam magneticam panaritii qualita-

ossis involucrum, erosio ab acri sero vinculis, ab amico osse discerptum; divulsionibus eoque intensioribus angitur ærumnis, quò strictior est ipsius structura, pluribusque nervulis pervia, undè, licet nullus appareat tumor, febris ardens, deliria, spasmi, caries, &c. diros agro cruciatus, Chirurgus sollicitam curam portendunt. In hac paronychiâ tensio, ingurgitatio, inflammatioque primis principiis haud majores sunt, & in digito terminantur semper; apparent nonnunquam phlyctenæ; lividior fit pars, gangrenæque & sphacelo corripitur, nisi promptius succurratur. Dolorem deniquè in humeri condylo interno non perferent ager, ut in aliis panaritii speciebus.

Panaritii prognosin pro variâ ejus tum specie tum sede differre nemo non videt; omni periculo vacant prima & secunda species, si ab origine debellantur idoneâ medicaminum aut instrumentorum applicatione: his enim neglectis, præsertim si prava sit humorum indoles, tertiam quartamque committantur speciem, iisdemque mox infectantur accidentibus. Periculosissima certè tertia species, præcipuè si flexorum musculorum vaginam occupat corrupta materies: minor enim periclitatio, si extensorum vagina afficitur. Cùm maxima plerumquè adsint accidentia in quartâ specie, eam quoque omnium funestissimam ac miserrimam esse quis non videt?

In generalem & propriam potest dividi panaritii therapeia; licet enim omnes hujus species & sede & accidentibus differant, in principiis tamen eadem applicanda remedia generalia, nempe sanguinis missio, diæta, enemata, purgatoria etiam, emollientia, anodina, maturantia, &c. Curatio autem propria cuique speciei statuenda, & in quânam cauterium potentiale incisioni sit anteponendum pro nostri programmatæ fine adimplendâ assignare debemus.

In primâ panaritii specie ut plurimum confert in aquam fervidam digiti immersio, emplastrum ex unguento fusco vulgò *de la mere*,

tibus familiarem, cujus beneficio venenum in tumore latens ad se trahit: & Obs. LXIII. sic loquitur: « Jussi ut digitum dimitteret in aurem felis; & intrâ
 » duas horas doloris expertus fuit: sentiebat per intervalla attractionem digiti in
 » cavitatem auris & subindè dolor totum brachium invadebat usque ad humerum:
 » eodem tempore felis vociferabatur, ut credibile sit eum dolore affici à veneno
 » attracto. Paronychia enim, inquit, tumor est venenosus ». Medici credulitatem
 huc usquè provecram mirum profectò est. Hæc nota cæterùm Magistri celeberrimi
 MERTRUD jam superius in annuntiato Programme pag. quintâ refertur.

Diachylo cum gummis aliisve similibus paratum, ut citior fiat puris collectio, cui lanceolâ in cutem immissâ facilis panditur exitus: tunc plumaceolo aut splenio vino mellito imbuto tota perficitur curatio. Si in unguis radice sedem habet panaritium, hujusque adhesionem dilacerat inflammatio, curatio tunc ab ipsâ perficitur naturâ, si quidem detractum unguem extûs expellit novumque huic suppe-
ditat. Si sub ungue colligatur pus, unguis pars quæ materiam occultat, quamprimum incidenda, quò accidentia præcaveantur. In omni autem panaritii specie multiplici observatione constat, teste imprimis *Fabricio Hildano* (Cent. 1. Observ. 97.) quod si, incipiente paronychiâ, incidatur cutis, morbi sedes semper detegatur, ibique inveniat collectus quidam humor, plerumquè subrufus, qui tanquàm spina seu cuneus ibi infixus partes vicinas distendit, irritat, tandemque dilacerat, undè dolor, inflammatio, spasmi, &c. Sed in hâc primâ specie hæc non timenda accidentia, & modò parvâ incisione sero exitus patetur, curatio brevè perficitur. Cùm sub Epidermide tantùm pus inveniat, cùm lanceolâ tantùmmodo ejiciatur, in primâ panaritii specie omninò inutile esse cauterium concludere fas est.

Verum phlegmonem meritò appelles secundam panaritii speciem; simili ergo ratione curanda; venæ ergo miliones, emollientia remedia, cataplasmata maturantia applicanda; his facilè cedit paronychia, & sensibili tumore, rubescence, maculis albidis distincto, minutâque cutis superficie maturi puris comprobatur stagnatio. In omni humoris cujuscunque collectione intrâ aut extrâ vasa factâ, felix eventus à liquidi aggesti sufflamine aut evacuatione pendet. Sed hoc non æquis semper obtinetur auxiliis: quò major est metus ne collectus humor versûs interiora proserpat, eò exitus contenti festinator esse debet. Sic se gerit in omni tumore critico rectè medens Chirurgus: idem agendum, si abcessus in extremo digito natus sub cute & in pinguedine ratione structuræ & firmæ partium cohesionis, faciliùs intrâ partes tendineas sinuet quàm protrudatur, quia tunc summum est in morâ periculum & citò aperiendus mali fomes. Quodnam autem præstantius aut promptius in hoc casu auxilium ferro, cujus ope ad libitum inciditur tumor, pusque ejicitur? Sunt tamen qui in hâc etiam panaritii secundâ specie caustici applicationem suadent; sed cui bono? Nonne è contra timendum, eo applicato, ne partes jam inflammatas, irritatas, dilaceratas actione suâ vividissimâ discruciet? Nonne aliquoties suspitioni locum

datur summum usque ad puris fomitem non perventurum causticum, undè nova applicatio, dolores repetiti, repetitæ irritationes. Quæ omnia incisione promptâ & tutâ accuratissimè præcaventur, si quidem reperto mali fomite, statim levatur æger, remittuntur omnia; si tamen æger naturâ mollior scalpellum graviter nimis pertimescat, medicamentum rodens vel causticum applicandum, & in hoc tantummodò casu illud adhibendum remedium. Cæterùm eo applicato, vel factâ incisione humor noxius educendus, & *Fabricii Hildani* more pars spiritu vini theriacali alluenda, aut aliquo simili: in unguis lateribus prterygium sive fungosæ carnis propago non infrequens, quæ alumine usto, hydrargiro, præcipitato rubro, aliisque levioribus escharroticis consumitur; tunc supra laudatis medicamentis cicatrix perficitur.

Efficacissimis & quidem promptissimis Chirurgiæ opibus indigent duæ nunc curandæ panaritii species. Repetitis enim venæ sectionibus (1), cataplasmatibus emollientibus, anodinis, resolventibusque remediis incassum adhibitis (2), solum tunc in incisionibus præsidium tutum. Difficulus tumor in hoc casu apparere & sine sensibili fluctuatione jam diximus: attamen digitus scalpello tunc feliciter subjicitur & apertâ juxta longitudinem vaginali tunica, in aperturam intromittitur specillum sulcatum, quo favente, augetur incisio & vitioso latici exhibetur iter; vulneris margines tunc refecandi quò facilius tendinæ admoveatur plumaceolus, contra noxiam puris actionem vallum muniens. Si ultra incisionem propagatur malum, usque ad manum incisio prolonganda; si tamen accidentia adhuc subsistant, licet incisio usque ad ligamentum annulare internum & commune extensa fuerit, abcessum supra musculum quadratum pronatorem efformari verisimile est: puri exitus quò detur, carpus flectendus, per manûs aperturam, & sub ligamento annulari specillum sulcatum intromittendum, & super

(1) Si venæ missio negligatur, auxilium ferè divinum in tumorum inflammatorum therapeiâ, subito accrescit inflammatio, totamque invadit manum & sæpè etiam totum brachium.

(2) Quam maxime nociva in omnibus panaritii speciebus remedia repercussiva: observatu enim dignum est, teste M. LOUIS, ex ipsorum applicatione Gangrenam, Sphacelum, atque etiam mortem sæpissimè insequi.

ejus sulcum fertur scalpellum quo incisio in ter tendines ad inum focum perficitur, & extracto pure, clarissimi Magistri *Thibault* gressus lustrans Chirurgus, setaceum à manu ad carpum propellit.

Urgent accidentia: acri sèro maculatur ligamentum annulare, & partes vicinas forti vexat compressione: huic-ne parces? Minimè. Sator enim est ligamenti ipsius sectio quàm totius manûs truncatio. Prudens verò Chirurgus ægrum monere debet membri inertem fore, ultimamque hanc tentari medendi viam pro salute ipsius brachii vitæque conservandâ. Ligamento annulari secto, carpus per curationem flectendus, ne nimis promineant flexores tendines. Quin si ipse tendo afficiatur, quâdam fibrarum dilaceratione excrucietur, nec ullo modo post vaginæ incisionem balsamicis, oleis essentialibus tepidis levare possit, tunc omnis curationis spes in illius sectione ponitur, quod cum successu sæpè sæpius tentasse dixit celeberrimus Magister *Petit*. Primum itaque in suâ cum phalange adhæsione secatur; deinde à ligamenti annularis parte internâ educitur & in parte carnosâ amputatur: digiti motum amitti haud dubium est, quandò secatus fuit tendo flexor, vel per deligationum tempus exfoliatus fuit: tunc semi-flexus per curationem digitus servandus, ut post sanationem eundem habeat situm: si è contra tendo sanus sit, digitus semper esse rectus debet, ut tendinis usus conservetur.

Hæc verò pessimæ paronychiæ finis semper non est: per plurimas nonnunquam tum dorsi manûs, tum antibrachii, brachiique partes debacchatur hydra variis latitans abcessibus, totidem pro ratione, artifice legibus secandis, ut debellatis accidentibus, felici successu gaudeat Chirurgus. Novæ igitur celebrandæ incisiones nec eæ parcendæ: nisi enim puri sufficiens paretur exitus, dira superiùs jam enumerata accidentia producer, partesque vicinas corrodet. Sanguinem in his repetitis operationibus fluere non mirum, immò necesse est, pro ingurgitatis partibus resolvendis, ulterioribusque præcavendis malis. Si tamen cum impetu periculosius ruat sanguis, apage stipticis aliisve adstringentibus, tendinum hostibus, uti: non enim medicamentis sedandam hæmorrhagiam, sed arterias vinciendas jubent *Platnerus & Heisterus*. Sæpissimè autem compressio sufficit ut coerceatur sanguinis flexus. Partes interim denudatas plumaceolis balsamo arcæi imbutis tueri, vicinioribus ac ingurgitatis partibus resolventium applicatione auxiliari, omnes denique pro rerum naturâ vino mellito, spiritu vini in aquâ

soluto, aliisque similibus mundare, periri Chirurgi munus; olea crassiora, aliaque unguenta putredini faventia, spirituosiora, essentialia, ut potè urentia ac desiccantia, prorsus rejicienda. Quæ medium inter illa tenent locum, ut balsamica naturalia, V. G. therebentina, balsamum Tolutanum, Peruvianum, de Mechâ &c. partium tendinearum nervosarumque amicissima, feliciter adhiberi possunt. Partium deligatio ab artis legibus petenda pro morbi naturâ differt; tendines enim denudatos plumaceolis, spleniis idoneis, fasciisque in propriis sedibus servare ac defendere sedulus nitetur Chirurgus. Interea tamen fasciam octodecim capitum aliis multò præstantiorem probat jam laudatus *Heisterus*.

Aliud adhuc medium, si quibusdam auctoribus fides sit habenda, curatorium in hac tertiâ panaritii specie cum successu & majori etiam cum utilitate adhiberi potest. Illud medium in eo consistit ut in puncto affecto partis ægræ sensibilitas & irritabilitas destruantur; jam cessante irritatione, brevi cursu suum recuperant fluida & dissipatur ingurgitatio. Sic sæpè sæpius in tendinem punctione vulneratum cum successu applicata fuerunt ignis, oleum fervidum, & caustica: hoc ultimum remedium in usum missum fuit à clarissimo *Foubert* in panaritiis, vel maximis accidentibus favientibus. Magister ille Palæstrâ Chirurgicali exercitissimus incisionum in hoc casu celebratarum vitium cum expertus fuerit, in mali principium, id est, in flexorem tendinem, trochiscum sublimato corrosivo & micâ panis paratum audacter applicavit; eo quidem tempore quo dolor, inflammatio, manûsque ingurgitatio maximum attigerant gradum; &, teste eo Magistro, nedùm hæc accidentia caustici actione adaucta fuerint, ferè subito è contra post applicationem diminuta fuerunt, brevique tempore evanuerunt. Plures de hac methodo observationes coram Academiâ Chirurgiæ retulit *M. Foubert* & ex his caustici applicationi in hoc casu faventes conclusiones inducebat, de quibus tamen inter artis Magistros magna fuit opinionum diversitas. Incisionum sectatores sustinebant non sine jure has esse anteponendas, cum conceptu difficile sit sublimati trochiscum in extremo digito pro panaritio tollendo applicatum, ad originem mali pervenire posse, quod à tendinum vaginæ incarceratione oritur, ita ut accidentia vel præcaveri vel tolli, nisi hujus vaginæ in tota longitudine sectione, possint. His invitis rationibus, renovata fuit methodus *Foubertiana*: eam maximè extollit Magister *Fabre* in suo libro

cui titulus : *Essai sur différens points de physiologie , de pathologie , & de thérapeutique* : hanc dirimere litem nostrum non est : hoc solum modò dicere nobis liceat utriusque methodi tum incisionis , tum caustici in tertiâ panaritii specie cum successu adhibitæ quam plurimos artis Magistros testes nos habuisse , undè concludendum alterutrius methodi applicationem variis pro casibus , variâ pro Chirurgi experientiâ fieri.

Quarta paronychiæ species cum periculosisimorum , si in summum habeat , sit accidentium præda , celerem sibi operationem vindicat. Præmissis itaque , sicut de tertiâ specie diximus , venæ sectionibus plus minusve repetitis , emollientibus , anodinis , resolventibusque remediis , lateralem digiti partem ad ipsum os pertundere ne dubites : stillantibus guttulis aliquot infesti seri , maxima plerumquæ fit dolorum solutio. Si verò ulcus sordidum , verminosum (1) cum ossiculi carie conjunctum fuerit , idoneis pro symptomatum ratione medicamentis , ossiculi exfoliatio , sin minus excisio tentanda.

Præmissis præmittendis , cum optatæ cicatricis lux affulgere incipit , sanationis perfectæ opus naturæ non committendum : ulterioribus enim tunc auxiliis indiget æger digitus : bis itaque singulis diebus deligetur : alternis vicibus cum aliis modò flexus , modò extensus sit , & in alterutrâ positione firmetur , ut superiùs jam annotavimus : mox caro quædam supercrescit , à partium vicinarum approximatione orta , & deficientis tendinis partis vices gerens , ita ut , eâ mediante , sublatam hujus partem restitutam credere fas esset. Sanorum digitorum motus nonnunquam sequitur digitus affectus , imò & propriis gaudet. Impossibilis tamen ferè semper post tales operationes digitorum usus.

Postremo die vel aliquot sequentibus post incisiones in digito factas caro multa increvit ; nec mirum : cum enim partes humoribus ingurgitatæ nimis horum compressione vexentur , exitum in exteriori moliuntur , & nullum aptiorem præter cutis aperturam inveniunt. Quæ quidem caro colorem lividum habet , supurationeque nonnunquam evanescit. Si tamen remediis suppurantibus non cederet , semperque vulneris oras occluderet , ea forficibus , vel scalpello refecanda , vel ,

(1) Panaritium , vermis digitorum , vermiculus rodens &c. ab Antiquis vocabatur. Reperiuntur equidem quandoquæ vermes in exulcerato tali affectu , sed putredinis tunc sequelæ sunt , ut in aliis omnis generis ulceribus , non verò morbi ipsius causæ.

ut quidam volunt, causticis consumenda esset; ferri autem usus ut tutior & promptior in omnibus casibus anteponendus.

In casu precedenti, id est, in quartâ panaritii specie, quàm inutilis imò quàm nociva esset caustici rodentis applicatio luculenter apparet: si objiciatur multa mala plerumquè ex profundâ incisione oriri posse, respondemus 1^o. quòd ex illâ discrimen ortum nunquàm ita magnum, ita funestum esse ac ipsum morbum, vel medii curatorii usum, cujus effectus fixo modo determinare in nobis non est. 2^o. Quòd hæc incisio profunda non fit uno ictu, cùm latet mali fomes, sed repetitis vicibus & lateraliter usquè dum reperiatur locus affectus. De iis auctoribus qui in tertiâ paronychiæ specie caustica adhibuisse cum successu dicunt, quid sentiendum sit superius declaravimus; dicant alii omnem incisionem inutilem esse, imò quandoquè nocuam, etsi dexterè fiat, & illius loco exedentia, corrodentia, ut sublimatum corrosivum micâ panis gummiq; Arabico subactum, prædicent, illis fiduciter opponemus *Albucaasis, Bayri, Pigræi, Aureliani, Severini, Paræi, Fabricii Hildani* & imprimis *Garengeotii* in paronychiæ curatione exercitatissimi experimenta, nec non innumera exempla quibus probatur paronychiam quartæ speciei felicem nunquàm habuisse exitum, nisi priùs peractâ incisione; assertionis nostræ argumentum etiam petitur ab infelici, infido, & inefficaci medicamentorum usu quæ tanquam specifica in paronychiis extolluntur; talia sunt herba quæ ob usum à *Galeno paronychia, lixivium, aqua aut acetum fervens, Galla quercina, emollientia ipsa*, &c. His omnibus paronychiæ succurrendæ imparibus, concludere pronum est quòd in omni panaritii specie ad partis incisionem tanquàm ad sacram anchoram semper confugiendum sit.

F I N I S.